

**Urkunde R. Wenzel's, setzt seinen Bruder Sigmund zum unwiederruflichen
Reichsverweser ein, (1396. März 19.)**

cop. Berlin. Geh. St. A. Kasten 2. H. or. m. mit anhang. Maj. Siegel.

Schmidt, biblioth. hist. Gotting. P. I. Sect. IV. p. 162.

Pelzel, R. Wenzel, Urk. B. nr. 125 gibt Varianten dazu aus d. or.

Litera generalis procuratorii vicariatus Romani imperii serenissimo principi domino Sigismundo inclito regi Hungarie etc. cum plenissima et irrevocabili potestate commissi data etc.^{a)})

Wenceslaus dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex. Notum facimus tenore presencium universis, quod, incumbentibus nobis assidue negotiorum varietatibus innumeris dum pro felici statu reipublice animus noster hincinde distrahitur, dignum estimamus existere et necessarium arbitramur, ut, qui tot regionibus nobis commissis provide gubernandis adesse conmode non possumus, viros fide et circumspeccione probatos in partem nostre sollicitudinis statuamus. sane licet proficisci versus Italiam in subsidium sancte Romane ecclesie matris nostre, que prochdolor retroactis temporibus in illis partibus opprimebatur quamplurimum et adhuc cotidie opprimi dinoscitur, nec non pro reformando felici statu sacri Romani imperii majestas regia decrevisset, tamen, nonnullis arduis et evidentissimis causis urgentibus que ultimata regnorum et principatuum nostrorum procurare potuissent et possent dispendia, iter nostrum extitit impeditum. idcirco serenissimum principem dominum Sigismundum Ungarie Dalmacie Croacie etc. regem illustrem fratrem nostrum carissimum, quem ydemptitas sanguinis fides virtutum approbata merita et experientia rerum magistra constantem fidelem et utilem nobis edocuit nedum ad talia sed etiam ad maiora, in partem nostre sollicitudinis evocantes, nostrum et imperii sacri Romani in omnibus et per omnia — universaliter in universis et singulariter in singulis regnis principatibus ducatibus provinciis territoriis civitatibus comitatibus districtibus dominiis atque terris, et signanter per universas Lombardie, Italie, Tuscie, Marchie Anconitane, Romandiole, Apulie, Pedemoncium, Abrucie, Calabrie, Sicilie, Fori Julii et Marchie Tervisine, et nominatim ac expresse in de et super advocaciis provincialibus superioris et inferioris Swevie et aliarum regionum provinciarum et parcium ad imperium sacrum Romanum pertinencium ubicunque sitis, cum omnibus et singulis earundem provincialium advocaciarum castris, tenutis, terris, provinciis, districtibus locis judiciis provincialibus et aliis juribus, immunitatibus, stewris annalibus, emolimentis, fructibus, censibus, stacionibus, redditibus, serviciis, servitutibus et pertinenciis universis in eisdem, nichil penitus excludendo, — non per errorem aut inprovidie sed animo deliberato sanoque et maturo tam ecclesiasticorum quam aliorum sacri imperii principum procerum et nobilium accedente consilio, creavimus constituimus fecimus ordinavimus et firmavimus creamus constituimus facimus ordinamus et firmamus virtute presencium de nostre Romane regie potestatis plenitudine verum legitimum irrevocabilem universalem ordinarium locumtenentem vicarium generalem, dantes exnunc et concedentes virtute presencium eidem serenissimo fratri nostro regi Sigismundo auctoritate predicta de certa nostra sciencia plenam liberam expressam et omnimodam licenciam auctoritatem potestatem, etc.

a) Gleichzeitige Ueberschrift auf der Rückseite.